

## **62A. Many Kisses (SB page 111)**

- 1 Vīvāmus, mea Lesbia, atque amēmus,
- 2 rūmōrēsque senum sevēriōrum
- 3 omnēs ūnius aestimēmus assis!
- 4 Sōlēs occidere et redīre possunt:
- 5 nōbīs cum semel occidit brevis lūx,
- 6 nox est perpetua ūna dormienda.
- 7 Dā mī bāsia mīlle, deinde centum,
- 8 dein mīlle altera, dein secunda centum,
- 9 deinde usque altera mīlle, deinde centum.
- 10 Dein, cum mīlia multa fēcerīmus,
- 11 conturbābimus illa, nē sciāmus,
- 12 aut nē quis malus invidēre possit,
- 13 cum tantum sciat esse bāsiōrum.

## **62B. Lesbia's Special Qualities (SB page 111)**

- 1 Quīntia formōsa est multīs. Mihi candida, longa,
- 2 rēcta est: haec ego sīc singula cōfiteor.
- 3 Tōtum illud “formōsa” negō: nam nūlla venustās,
- 4 nūlla in tam magnō est corpore mīca salis.
- 5 Lesbia formōsa est, quae cum pulcherrima tōta est,
- 6 tum omnibus ūna omnēs surripuit Venerēs.

## **62C. Catullus' Hope for the Future (SB page 113)**

1 Iūcundum, mea vīta, mihī prōpōnis amōrem  
2 hunc nostrum inter nōs perpetuumque fore.  
3 Dī magnī, facite ut vērē prōmittere possit,  
4 atque id sincērē dīcat et ex animō,  
5 ut liceat nōbīs tōtā perdūcere vītā  
6 aeternum hoc sānctae foedus amīcitiæ.

## **62D. No Greater Love (SB page 113)**

1 Nūlla potest mulier tantum sē dīcere amātam  
2 vērē, quantum ā mē Lesbia amāta mea est.  
3 Nūlla fidēs ūllō fuit umquam foedere tanta,  
4 quanta in amōre tuō ex parte reperta meā est.

## **62E. A Woman's Words (SB page 113)**

1 Nūllī sē dīcit mulier mea nūbere mālle  
2 quam mihi, nōn sī sē Iuppiter ipse petat.  
3 Dīcit: sed mulier cupidō quod dīcit amantī,  
4 in ventō et rapidā scrībere oportet aquā.

## **62F. Catullus' Love for Lesbia (SB page 115)**

- 1 Dīcēbās quondam sōlum tē nōsse Catullum,
- 2       Lesbia, nec prae mē velle tenēre Iovem.
- 3 Dīlexī tum tē nōn tantum ut vulgus amīcam,
- 4       sed pater ut gnātōs dīligit et generōs.
- 5 Nunc tē cognōvī: quārē etsī impēnsius ūror,
- 6       multō mī tamen es vīlior et levior.
- 7 Quī potis est, inquis? Quod amantem iniūria tālis
- 8       cōgit amāre magis, sed bene velle minus.

## **62G. Conflicting Feelings (SB page 115)**

- 1 Ōdī et amō. Quārē id faciam, fortasse requīris.
- 2       Nescio, sed fierī sentiō et excrucior.

## **62H. Letting Go (SB page 117)**

- 1 Miser Catulle, dēsinās ineptīre,
- 2 et quod vidēs perīsse perditum dūcās.
- 3 Fulsēre quondam candidī tibī sōlēs,
- 4 cum ventitābās quō puella dūcēbat,
- 5 amāta nōbīs quantum amābitur nūlla.
- 6 Ibi illa multa cum iocōsa fīēbant,
- 7 quae tū volēbās nec puella nōlēbat,
- 8 fulsēre vērē candidī tibī sōlēs.
- 9 Nunc iam illa nōn vult: tū quoque impotēns nōlī,
- 10 nec quae fugit sectāre, nec miser vīve,
- 11 sed obstinātā mente perfer, obdūrā.
- 12 Valē puella, iam Catullus obdūrat,
- 13 nec tē requīret nec rogābit invītam.
- 14 At tū dolēbis, cum rogāberis nūlla.
- 15 Scelestā, vae tē, quae tibi manet vīta?
- 16 Quis nunc tē adībit? Cui vidēberis bella?
- 17 Quem nunc amābis? Cuius esse dīcēris?
- 18 Quem bāsiābis? Cui labella mordēbis?
- 19 At tū, Catulle, dēstinātus obdūrā.

## **62I. Dealing with a Thief (SB page 121)**

- 1 Marrūcīne Asinī, manū sinistrā
- 2 nōn bellē ūteris: in iocō atque vīnō
- 3 tollis lintea neglegentiōrum.
- 4 Hoc salsum esse putās? Fugit tē, inepte:
- 5 quamvīs sordida rēs et invenusta est.
- 6 Nōn crēdis mihi? Crēde Polliōnī
- 7 frātri, quī tua fūrta vel talentō
- 8 mūtārī velit: est enim lepōrum
- 9 differtus puer ac facētiārum.
- 10 Quārē aut hendecasyllabōs trecentōs
- 11 exspectā, aut mihi linteum remitte,
- 12 quod mē nōn movet aestimatiōne,
- 13 vērum est mnēmosynum meī sodālis.
- 14 Nam sūdāria Saetaba ex Hibērīs
- 15 mīsērunt mihi mūnerī Fabullus
- 16 et Vērānius: haec amem necesse est
- 17 ut Vērāniolum meum et Fabullum.

## **62J. A Friend Returns Home (SB page 123)**

- 1 Verānī, omnibus ē meīs amīcīs
- 2 antistāns mihi mīlibus trecentīs,
- 3 vēnistīne domum ad tuōs penātēs
- 4 frātrēsque ūnanimōs anumque mātrem?
- 5 Vēnistī. Ō mihi nūntiī beātī!
- 6 Vīsam tē incolumem audiamque Hibērum
- 7 nārrantem loca, facta, nātiōnēs,
- 8 ut mōs est tuus, applicānsque collum
- 9 iūcundum ūs oculōsque suāviābor.
- 10 Ō quantum est hominum beātiōrum,
- 11 quid mē laetius est beātiusve?

## **62K. Betrayed by a Friend (SB page 123)**

1 Rūfe, mihī frūstrā ac nēquīquam crēdite amīce  
2 (frūstrā? immō magnō cum pretiō atque malō),  
3 sīcine subrēpstī mī, atque intestīna perūrens  
4 ei miserō ēripiustī omnia nostra bona?  
5 Ēripiustī, heu heu nostrae crūdēle venēnum  
6 vītae, heu heu nostrae pestis amīcitiae.

## **62L. The Best and the Worst (SB page 124)**

- 1 Disertissime Rōmulī nepōtum,
- 2 quot sunt quotque fuēre, Marce Tullī,
- 3 quotque post aliīs erunt in annīs,
- 4 grātiās tibi maximās Catullus
- 5 agit pessimus omnium poēta,
- 6 tantō pessimus omnium poēta,
- 7 quantō tū optimus omnium patrōnus.